



Rmo P. D.

**CALCAGNINO**

DECANO.

Mediolanen. Pecuniaria.

*Mercur. 16. Ianuarii 1737.*



**N**E quid proprietatis in perditionis signum tempore sui obitus apud se reperiretur, Pater Octavius Cusanus, quem ingenita præclaræ Familiæ nobilitas, & ingens propriorum meritorum cumulus ad ipsam generalem Præposituram Somaschensis Ordinis iteratò evexere, duabus conscriptis schedulis, quas *Expropriationis* vocamus, quidquid penes se erat, Monasterio suo resignare, seu consignare sedulo studuit.

A

o In

- 2 In iisdem tamen schedulis declaravit, certam quandam pecuniarum quantitatem, librarum nempe 7240. in quodam indicato suo repositoio asservatam, ad se haud spectare, sed esse alienam, eamque consignandam esse Patri Bonvino Confessorio suo, ac Metropolitana Ecclesia Mediolanensis Pœnitentiaro, cui in Sacramentali Confessione communicaverat, quos in usus eadem pecunie erogari debuissent; Sicuti, & eandem ob causam eidem Patri Bonvino fore consignandam medietatem quorundam suorum Creditorum, quæ mortis suæ tempore inexacta reperirentur.
- 3 Sequito Patris Cusani obitu in Monasterio, sive Collegio Sanctæ Mariæ Secretæ Mediolani, cum ab illis Religiosis negaretur, faciendam esse dictam pecuniarum, & inexactorum Creditorum consignationem in manibus Patris Bonvini, iuxta declarationem exaratam in dictis schedulis, in medium profuerunt Comitissa Eleonora Cusana de Verme, ac Comes Gaspar Billia, qui cum hæredes essent Marchionissæ Victoris Strozziæ Cusanæ, & istius Testamentariæ dispositionis fiduciarius Executor dictus Pater Cusanus fuisset, sua interesse censuerunt pro dicta perficienda consignatione in manibus Patris Bonvini præfatos Religiosos judicialitèr, provocare.
- 4 Proindequæ iudicio coràm Vicario Generali instituto, productisque dictis schedulis, quæ iuxta Ordinis Constitutiones in communi deposito custodiebantur, ac in formali examine audito Patre Bonvino, aliisque cumulatè probationibus, pronunciatum fuit, dictos Religiosos Sanctæ Mariæ Secretæ teneri ad dictam faciendam consignationem, iuxta declarationem in dictis schedulis emissam, & per caput separatim eidem Religiosis damnati fuerunt ad solvendum Sententiæ Salarium, sive honorarium, & de reliquo à sumptibus litis reficiendis absoluti fuere, dummodò huic Sententiæ acquiescerent; Sin minus ad expensarum omnium refectiorem, iuxta taxationem à Notario Actuario faciendam, condemnati conferentur.
- 5 Appellationem adversus huiusmodi Sententiam Religiosi Somaschenfes interposuerunt, commissaque Causa per Breve in Partibus Abbati Ravizæ, uti uni ex Iudicibus Synodalibus, præcedens iudicatum quoad negocium principale confirmatum fuit: Et quoddam Salarium Sententiæ ab eodem Iudice pronunciatæ, iidem Religiosi condemnati fuere: quo verò ad reliqua, nempe ad Salarium præcedentis Sententiæ, & sumptuum refectiorem absolutoria Sententiæ prodit.
- 6 Post iudicatum huiusmodi cum in amicales tractatus plures incallum consumpti fuissent menses, & interpellationes

- etiam iudiciales coràm Vicario Generali ab Actoribus interpositæ fuissent pro illius Sententiæ executione: tandem cum eidem sese Religiosi adhuc opponerent, iidem Actores obtinere satagerunt à Sanctiss. Domino Nostro speciale Rescriptum pro expeditione Brevis cum clausula de Causis quoad absolutionem ab Expensis pronunciatam in secundo indicato: Sed recursum habito per Religiosos ad Eum Pro-Auditorem Sanctissimi, & ab hoc remissis partibus ad Signaturam Iustitiæ, porrectaque hinc inde commissione, quoad negocium principale admittæ fuit Religiosorum appellatio cum clausula: *Sine præjudicio*: quo verò ad expensarum cognitionem rescriptum prodit: *Prævia reportatione Brevis ad Rotam cum clausula de Causis, & eidem Auditori Rotæ.*
- 7 Dubiis ergo separatim de more propositis, quoad primum Responsum est: *Constare de re iudicata.* Etenim à secunda condemnatoria Sententia non solum à Religiosis succumbentibus intrà decendiale spatium nulla interposita fuit appellatio, sed adhuc assumptis amicabilibus tractatibus iidem Religiosi pecunias repertas in indicato illo repositoio iuxta præfatas *Expropriationis* Schedulas Patri Bonvino consignarunt, & insuper prædictam medietatem utilium inexactorum, exactione sequuta, consignaturos sponponderunt; In his autem terminis, rem iudicatum partam esse, denegari non potest, cum exploratum sit, rem iudicatum induci ex sola omissione appellationis intrà legitima tempora ad *Text. in Auth. Et, qui appellat. C. de temp. appellat. Rot. in Romana Fideicommissi, seu Transactiois 25 Aprilis 1735. g. De re quidem cor. Me.*
- 8 Locum habere nec potest adversus eandem rem iudicatum restitutio in integrum quia cum liquido constet de præcedentium Sententiarum validitate, ac iustitia, locus esse nequit petite in integrum restitutioni *Rota cor. Dunozett. lun. dec. 868. n. 2. cor. Emerix lun. dec. 1339. num. 1., & in Nullius Terræ Particulari Censu 8. Martii 1720. 6. Cum enim cor. bo. me. de Gamaches, & in Terracinen. Iuris prohibendis 25. Iunii 1734. 5. Et conspectu coràm R. P. D. meo Nunez, & passim.*
- 9 Et super validitate quidem nulla excitata est questio: Iustitia verò plusquam manifestè resultat ex præfatis Schedulis *Expropriationis*, quibus uti legalibus, & exaratis ad præscriptum iuris in *Cap. Super quodam, & Cap. Cùm ad Monasterium ad Statu Monachor. indubiam*, ac plenam adstruendam esse fidem ex recepto more tradit *Bordonius consil. 42. num. 7., & seq., & per tot. impres. post tract. de Legat., & refert Advocatus Vrjaya discept. Ecclesio. num. 68. tom. 9. part. 1., & suffragatur resolutio Congregationis Particularis in una Romana Spolii 8. Iulii 1707. relata ab eodem Vrjaya loc. citat.*

num. 160. nec dissentit Rota in Romana Pecuniaria, sed Locorum Montium 15. Januarii 1706. §. Non obstante cor. bon. mem. Muto.

- 10 Quod autem tanta fides Schedulis huiusmodi adhiberi debeat, impense observatum est, id nullam in iure præferre repugnantiam. Etenim Schedules istæ, quibus Regulares indicare solent, quæ res ad se pertineant, & quæ sint alieni Domini, stant loco illius consignationis, seu resignationis præscriptæ in Sacris Canonibus, de quibus latè Gonzalez Tellez. in d. Cap. Super quodam de Stat. Monachor. istoque in sensu cum Scriptura confecta videatur ad iuris præscriptum, haberi debet præ legali, & proinde merita fides eidem deneganda non est, ut firmat Bordon. loc. citat. num. 19. & 20.
- 11 Schedulis præterea huiusmodi accedit, quod iuxta eorundem Sacrorum Canonum institutionem exarantur in propria conscientia exonerationem, & ne quis Monachus in mortis articulo aliquid proprietatis penès se retinere in signum æternæ damnationis reperitur: inverisimile autem, prorsusque incredibile est, quod Regulares præsertim, qui abdicatis sæculi voluptatibus, totam vitam inter Monasticas asperitates traduxerunt, tandem in extremis Vitæ periodis adeo sint propriæ salutis immemores, ut sine ullo fructu mendacibus, ac præiudicialibus declarationibus sese illaqueare velint; quare indiscriminatim receptum est, quod declarationibus, seu confessionibus huiusmodi in mortis articulo emissis multum quidem deferri debeat ex firmatis per Rota dec. 4. n. 10. de falsis, & dec. 2. n. 16. de Senten., & Mandat. execut. cor. Falconer., & passim.
- 12 Additur item, quod sine dubio eadem Schedules pro legalibus, ac subsistentibus habentur ad effectum, ut Religiosus evadat poenam in Sacris Canonibus comminatam, & ut Monasterium suas faciat res illas, quas Monachus ad se pertinuisse declaraverit: Ergo eadem Schedules præ legalibus pariter, ac præ subsistentibus haberi debent ad alium effectum restituendi propriis Dominis res illas, quas Monachus ibidem alienas esse declaraverit, iuxta ea, quæ adnotari solent circa naturam actus individui, de quo in Toletana, seu Compulsen. Decimarum 21. Januarii 1735. §. Plausum cor. Me, & alibi millies.
- 13 Nec minorem eisdem Schedulis Expropriationis fidem concipiat reflexio altera, quod nempe si à contrario sensu supponi vellet, quod declarationes in eis contentæ essent mendaces, vel simulatæ, proponi quidem necessarîo deberet causâ d. mendacii, vel simulationis. At nulla certè huiusmodi causâ affer-

449  
inferri potest, quia sine medio dictarum Schedules Regularares suas possent implere Vota, ac Bona penès se existentia sine aliquo impedimento, cui vellent, extradere possent, ac propterea deficiente mendacii, seu simulationis causâ, præfate Schedules nunquam præ simularis, vel mendacibus haberi poterunt ex notissimis, de quibus in Decis. 288. n. 9., & 10. coram Lancetti., & dec. 3. num. 7. sis. de probat. coram Falconer.

- 14 Itaque majorem adhuc vim assument, quia procedendo adhuc cū contraria suppositione, quod Schedules huiusmodi haberi deberent præ mendacibus, ac simulatis, statim in Religiosum irrogaretur delictum, à quo quidem præsumendo omnino abhorrendum est, cum sciamus, quod etiam in casu, quo penès Regularem obeuntem sine ulla prævia Expropriatione, pecunie reperta fuerint, ne in eo supponatur delictum, seu peccatum contra Religiosam paupertatem, præsumatur potius, quod pecunie illæ non fuerint propriæ Regularis defuncti, sed ad alienum spectaverint dominium. Portell. in dubis Regular. Verb. sepultura num. 11. Roderic. quest. Regular. tom. 3. quest. 56. num. 1. & quest. 61. art. 1. Peir. tom. 1. de offic. subdit. Regular. quest. 2. Cap. 2. §. 9. num. 3. Dian. part. 4. tract. 4., Miscell. resolut. Pellizar. in Manual. Regular. tom. 1. tract. 4. num. 245. Morg. de Sepultur. tom. 2. disquis. 6. dub. 25. num. 34., Duno. in prax. Regular. tom. 3. tract. 15. quest. 53, & 54., Rota in dicta Romana Pecuniaria seu Locorum Montium §. Non obstante coram bon. mem. Muto.
- 15 Multo ergo certius standum erit declarationi, seu confessioni Regularis emissæ in d. Schedules Expropriationis, in qua per positivum factum indicantur, quænam bona ad Regularem ipsum pertineant, & quænam sint alieni juris, cum præsertim receptum aliquando fuerit, ut ipsa Apostolica Camera à colligendo spolio expulsa fuerit, ne irrogaretur mendacii, ac salutatis nota Præbato, qui consimilem emiserat declarationem Expropriationis, ut ex auctoritate d. Consil. 42., Bordon. dictum fuit in Voto Camere extenso à R. P. D. Maggio in una Romana Spolii inter Principem Pamphiliam, & illas de Philonardis 25. Junii 1731. §. 28.
- 16 Atque hæc quidem, quæ generalitèr conferunt ad fidem præstandam huiusmodi Expropriationis Schedulis, longè majori firmitate in proposita facti specie consolidantur ex peculiaribus circumstantiis, ac indubis conjecturis, inter quas gravissimi ponderis reputata est illa prodita à Sedulitate, ac studio adhibito per Patrem Cusanum in distinguendo nominatum

ea, quæ ad se pertinebant, & quæ juris erant alieni, & utilia propriis Dominis restituenda: Ex hac enim discrimina-  
tiva descriptione in dd Schedulis facta, facile animus fraudandi  
excluditur, & arguitur diversa declarantis intentio regulata  
à rerum descriptarum diversitate, ex animadversis per *Rot. in  
d. Romana Pecuniaria, seu Locorum Montium 9. Rariis, & seqq.  
coram Muto.*

- 17 Coniecturam hanc mirabiliter fovent personales prærogativæ  
ipsius Patris Cufani: qui cum à præclara Familia ortum duxe-  
rit, ac se in toto suæ vitæ cursu insignem Christiana pietate  
præstiterit, ac magnis suis evecus meritis regimini totius sui  
Ordinis bis præpositus fuerit, præsumi nequit, quod sese læ-  
thalibus mendaciis in suæ Religionis præjudicium turpiter coin-  
quinare voluerit: Siquidem præsumptio in contrarium stat,  
quod nempe Viri nobilitate conspicui haud ad mentiendum in  
alterius præsertim præjudicium inducantur. *L. Pupillus §. Sa-  
nè vers. 5. ut solent Honestiores ubi DD. ff. de Auth. Traquell.  
de nobilit. cap. 20. n. 4., Declan. respons. 37. n. 30. lib. 2., &  
respons. 57. n. 26. lib. 3., Rota coram Bleb. dec. 71. n. 14., &  
coram Falcon. dec. 2. num. 5. tit. 17. Tom. 2., eaque conjectura  
magis urget, ex quo non præsumitur, quod declarans in per-  
niciem propriæ animæ in mortis articulo mentiri volerint  
*Angel. de Confess. tom. 1. lib. 2. quest. 4. n. 85., & 86., Menoch.  
de præsumpt. lib. 5. n. 3., Rot. in Rec., dec. 391. n. 9. par. 17.,  
& coram Molines dec. 481. n. 4. tom. 2.**

- 18 Adstipulatur his conjecturis alia æquè præcellens elicitæ ex Te-  
stamento Marchionissæ Victoriæ Strozziæ Cufanæ, ex quo  
constat, duo capitalia librarum 12000., quamvis acquilita si-  
mulato nomine d. Patris Cufani, ea tamèn propria esse juxta re-  
cognitionem bonæ fidei ab ipso P. Cufano emissam; Præterea  
in eodem Testamento præscribitur, quod fructus, qui ex eis-  
dem duobus capit. libus per eundem P. Cufanum, quoad vive-  
ret, exigentur, erogari ab eodem ipso deberent in usus sibi  
manifestatos, & demùm in eodem Testamento habetur, ma-  
gnam pecuniarum quantitatem ab ipsa Testatrice penès dictum  
P. Cufanum depositam fuisse, ut eadem in certa pia legata im-  
penderetur; concurrentibus autèm huiusmodi relevantibus  
adminiculis, quibus certi reddimur, penès P. Cufanum alie-  
nam pecuniam depositam præcedentèr fuisse, illius certè de-  
clarationi standum erit in his, quæ magis confirmant, eandem  
pecuniam penès se repertam haud propriam fuisse, ex animad-  
versis per *Marescott. Var. resol. lib. 1. cap. 8. n. 10., Angel. de  
confess. lib. 2. quest. 8. limit. 6. num. 26., Gratian. discept. for.  
cap. 955. num. 5., Rot. in Rec. dec. 217. n. 5., part. 11., & in*

*Spo-*

*Spolejana Salviani 20. Martii 1702 §. In presenti coram Card.  
de la Tremoille, & in Romana, seu Portugallien. Pecuniaria 2.  
Iulii 1706. §. Nec relevare coram Card. Scotto.*

- 19 Coadiuvatur adhuc, ac firmitus communitur hæc conjectura ex  
illa etiàm alia deprompta ex jurata attestatione Patris Bonvi-  
ni, cui idem P. Cufanus in Sacramentali confessione fiducialitèr  
pandiderat, cujus essent pecuniæ penès se existentes, & quos  
in usus expendendæ forent; hæc autem attestatio cum à Con-  
fessario emissa sit, & ab aliis confirmetur conjecturis, æquiva-  
lere quidèr debet depositioni duorum Testium omni exce-  
ptione maiorum *Simon. de Præti. conf. 7. num. 1. lib. 2., Copyc.  
Lotr. dec. 12. n. 10., & seq., Rota in Rec. dec. 31. n. 8., & 9.  
part. 7. dec. 312. nu. 7. par. 9. post Torr. de pact. futur. Success.  
dec. 207. n. 2., & duob. seqq. coram Seraph. dec. 128. n. 1., &  
dec. 1166. n. 1., & seq., & coram Capraro dec. 138. n. 21., &  
seqq., & faciunt tradita quoad fidem habendam fiduciario lu-  
per his, quæ ab eodem jurata sunt in Testimonium veritatis per  
*Rot. in Recineten. Inmissiois 21. Martii 1727. §. 13. coram  
R. P. D. meo Narez, & adstipulatur etiàm præsumptio, pec-  
quam nomine in Sacramento confessionis abuti voluisse put-  
dum est per Rot. dec. 4. n. 9., & 10. tit. de falsit. coram Faleo-  
ner., & in Romana Palatii 30. Aprilis 1714. §. Stabilita cor-  
clar. me. Scotto.**

- 20 Concur. entibus itaque tot, tamque validis conjecturis, qui-  
bus circumvallatæ apparent Schedulæ Expropriationis exarata  
per P. Cufanum, omnis cessat difficultas quo ad fidem ha-  
bendam dictis Schedulis pro controverso effectu cogendi Mo-  
nasterium ad exhibendas pecunias, quas d. Regularis decla-  
ravitalieni Domini esse, ut reprobato *Sanchez* in terminis  
*docuit de Lugo de Instit. tom. 1. disput. 3. sect. 6. num. 122. &  
& Rotar. in Theolog. Moral. Regular. tom. 2. lib. 3. cap. 1.  
num. 14.,* Nihilque eisdem obesse possunt auctoritates inni-  
xæ theoricæ *Baldi in auth. Si qua Muller num. 2., & 3. C.  
de Sacros. Eccles.* Nam hæc, simileque traditiones, vel habent  
locum in declarationibus, quæ ad dissolvendam aliquam ju-  
ridicam questionem à Religiosis in alterius præjudicium emit-  
tantur: vel in declarationibus, quibus à Monasterijs auferri  
prætenderetur ius aliquod eisdem plenè quæsitum, ut benè  
distinguit *Rota dec. 754. num. 22., & 26. coram bo mem.  
Molines.*

- 21 Longeque minùs obesse potest laudata Decisio in *Romana Pe-  
cuniaria, seu Locorum Montium cor. Muto:* Nam licèt in ea non  
fuerit habita ratio declarationis emissæ à Religioso in facien-  
da Expropriatione: tamèn id evenit, tum quia non ad ob-  
re,

re, ac disertè ibi expressum fuerat, quod Loca Montium cum aliena pecunia empta fuerant, tum etiã quia in contrarium Religio evincebat, quod cum pecunia ipsius Monachi eadem Loca Montium fuerant acquisita, & acquisitio iam plenè parta erat favore ipsius Monasterii. At in presentiatum res omninò diversimodè se habet, quia clarè, ac distinctè in controversis Schedulis exprimitur, quæ res sint ipsius Monachi, & quæ sint alienæ: nec Monasterium aliquid in contrarium probat, sed potius in maiorem earundem Scedularum similitatem invicibiles prorsùs coniecturæ concurrunt, in quibus terminis, non negatur, plenam fidem eisdem Schedulis adhibendam esse, ut in *d. Decis. 5. Minùs abesse coràm bo. me. Muto.*

- 32 Pari modo nec fides eisdem Schedulis minuitur ex quo ibi in genere enuncietur fiducia facta P. Bonuino sine specifica mentione personarum, atque usum, in quos pecuniæ erogandæ forent. Nam ad terminos *Text. in L. Theopompus de Dot. prælegat.* dispositio facta iuxtà mentem secretam communicatam alicui, licèt non specificatis causis, & Personis, quarum favore sit exequenda, iure substatinetur, nec à Religione adversùs Religiosum executores quidquam prætendi potest ad tradit. *per Fagnan. in cap. Tu a nobis num. 35. & seq. de Testam.*
- 33 Leviorque est oppositio, quæ fit adversùs secundam Schedulam, ex quo ibi continetur declaratio circà medietatem utilium provenientium ex quibusdam aliis Capitalibus, quæ declaratio non continetur in prima Scheda. Siquidem iuxtà calculum ductum in responsione Actorum d. medietas reducit ad quid modicum. Unde credibile non est, quod Religiosus pro modica summa sese æternæ damnationi subicere voluerit. Præterea d. secunda Scheda ad eum finem superaddita fuit, ut suppleretur id, quod per errorem prætermisum fuerat. Et proinde ad eam substatinendam recurrunt omnes rationes, ac circumstantiæ superius cumulatae.

Et ita utraque &c.